



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Theoderichi Scithæ, qui contra Zenonem Arma ceperat, morte. Cap.  
XXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

Porro Palladio, episcopo Antiochiæ morte extincto, & Flauiano in eius locum suffecto, Salomon, præbyter Antiochiæ, mittit ab illo Alexandriam cum literis de communicando inter ipsos mutuò, ad Ioannem: illiusque respòsum per literas Flauiano requirit. Ioâne mortuo, alter Ioannes episcopus Alexandriæ deligitur. Atque hæc quidem res ad aliquot annos, quibus Anastasius gessit imperium, (hic enim imperator Euphemiũ episcopatu eiecit) ad hũc modũ progressæ sunt: quas quidem, quo historia planior & magis perspicua redderetur, coactus sum ordine percèfere.

*De Armati imperatricis Berinæ cognati interitu.*

*Caput XXIII.*

**Z**eno autem Armatum cognatum imperatricis Berinæ, quem à Basilisco ducem contra ipsum missum, muneribus ad suas partes pellexerat, & sociũ pro hoste effecerat, & Basiliscum filium eius Cæsarem Nicææ designauerat, de sententia Ili interficit. Nam Constantino polim profectus, & Armatum per dolum tollit è medio, & Basiliscum eius filium pro Cæsare sacerdotem creat: qui postea ad gradum episcopatus elatus fuit.

*Armatũ aliàs.*

*De Theodorichi Scithæ, qui contra Zenonem Armaceperat, morte. Cap. XXV.*

**P**er idem tempus Theoderichus, Scythia genere, cõtra Zenonem arma ferre parat, & copijs suis in Thracia collectis, bellum gerit aduersus Zenonem: agrisq; omnibus, qui ante pedes iacebant, vsque ad ostium Ponti vastatis, parum aberat, quin Constantinopolim cepisset, nisi quidam ex illius maxime necessarijs vehementer erga eum offensi, concilium de illo interimendo iniuissent: qui eum suorũ intellexisset maleuolentiã, retulit pedẽ, atq; nõ adeo multò post, in mortuorum numerũ ascriptus est. Verum quo genere mortis occubuerit, dicã: quod ita habet. Pro castris eius hasta cuspide bifida in sublimi suspensa fuit, more Barbarico. Deinde corpus suũ agitare exercereq; cupiens, equum sibi adduci iubet. Tũ absque mora (cuius

Ll 2 etiam

etiam in alijs rebus gerendis impatiens esse solet) in equū infilit. Equus autem, vtpote indomitus & ferox, cum nondum Theodoricus, pedibus vtrinque rite dispositis, firmè insideret, pedes anteriores tollit in sublime, ac posterioribus solum insistit erectus: adeo vt Theodoricus cum magna contentione cum eo luctaretur, & neque auderet eum freno, ne in ipsum caderet, retrahere, neque adhuc in sella firmè sederet, huc illucque sic volutaretur, vt hastæ suspensæ cuspidem vehementer agitaret: qui in eum impactus, latus grauitè vulneravit. Inde igitur in lecto coactus decumbere, paucis post diebus ex eo vulnere periit.

*De Martiano qui contra eundem bellum mouit,  
& quid illi postea acciderit.  
Cap. XXVI.*

**H**is rebus confectis, Martianus cum Zenone inimicitias exercere cœpit: qui filius fuit Anthemij, qui Romæ imperauerat, affinis autem Leonis, qui ante imperium gesserat. Iste vbi Leontiam Leonis filiâ minorem natu vxorem duxerat, tyrannidem occupare molitur. Ac pugna graui in palatio cômmissa, & multis vtrinque cadentibus, Martianus aduersarios terga dare cogit: atque certe palatio potitus fuisset, nisi negotio, quod susceperat, in crastinum dilato, oblatâ occasione omisisset. Nâ occasio præceps est: quæ vt cum ad pedes accedit, forsân capi potest, sic cum quasi è manibus elapsa est, in sublime subuolat, ridetque insequentes: ac de reliquo omnem aditum ad se illis penitus præcludit. Itaque qui fingendi pingendiq; artem norunt, solent quidem in illius sincipite comâ adhibere, in occipiti velut abradere ad cutem: scitè admodum innuentes, quòd dum adhuc à tergo est, ab illis, qui comâ eius præhendunt, teneri potest: verum vbi à fronte est, penitus auolat, nihil habens, quo à persequente capi queat. Quod plane euenit Martiano, qui vt tempus oportunum sibi datû amisit, sic idem ipsum de cætero reperire non potuit. Nam postero die à suis proditus, & relictus solus, confugit ad templum sanctorum apostolorum: indeque vi abstractus,

*Orsi.*